

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 3, Liber 3: De philosophia doctrina ac disciplina: et his connexis

De philosophia et scientia litterarum: Rubrica i.

Salomon in ecclesiastico capitulo 12. et finali. Faciendi plures libros nullus est finis.

Hysocrates in exortationibus capitulo 2. Presertim strenue videberis agere si fueris amator scientie: eris et eius auctor. que siquidem nosti conseruans lectionibus: que vero nondum didicisti: assistens disciplinis.

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 8. Honorabilior et melior est politica medicinali. Libro 10. et finali capitulo 7. et finali. Uidetur philosophia admirabiles delectationes habere puritate et firmitate. Idem topicorum libro 8. Philosophia est syllogismus demonstrans.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 28. scilicet de Aristoteli: Aristoteles interrogatus quid assecutus esset ex philosophia: respondit: vltro facere que quidam pauore legum faciunt.

Tullius in ortensio: Philosophia rationibus progredi debet. Duo hec sunt maxima in philosophia: iudicium veri: et finis bonorum. Idem tusculanarum questionum libro i. Omnium artium que ad rectam viuendi viam pertinent: ratio et disciplina studio sapientie que philosophia dicitur: contra. Meum iudicium semper fuit omnia nostros aut inuenisse per se sapientius quam per grecos: aut accepta ab illis fecisse meliora. Natura inest mentibus nostris insaciabilis: quedam cupiditas veri videndi. Libro 2. Philosophia paucis est contenta iudicibus: multitudinem consolto ipsa fugiens: eique ipsi et suspecta et inuisa est. Philosophia videtur animis: inanes sollicitudines detrahit: cupiditatibus liberat: pellit timores. Libro 3. Est profecto animi medicina philosophia. Uirtus adipiscende causa philosophia quesita est. Libro 4. Philosophia ex rationum collatione constat. Libro 5. extra: Quid est dulcius otio litterato. Idem de fine bonorum et malorum libro i. Ita sentio et sepe deserui: latinam linguam non modo non inopem sed locupletiorum etiam esse quam grecam. Libro 2. A grecis philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 7. capitulo 5. Adeo philosophia sacrum quiddam et venerabile est vt etiam si quid illi simile est mendacio placeat. Libro 15. capitulo 1. Philosophia sapientie amor est et affectatio. Philosophie tres partes esse dixerunt et maximi et plurimi auctores: moralem: naturalem: et rationalem. Prima componit animum. Secunda rerum naturas scrutatur. Tertia proprietates verborum exigit: et structuram: et argumentationes: ne pro vero falsa subrepan. Idem de septem liberalibus artibus. Liberalia studia dicta sunt: quia homine libero digna sunt. Liberalia studia virtutem dare non possunt: sed animum ad recipiendam virtutem preparant. Liberales artes non perducunt animum ad virtutem: sed expediunt. Quid est quare existimem non futurum sapientem eum qui litteras nescit: cum sapientia non sit in litteris: res tradit non verba.

Cecilius firmianus de beata vita libro 4. Multis artibus opus est vt ad philosophiam possit accedi.

Commented [CN1]: fol.65rb

Cato capitulo i. Disce litteras.

Boetius in arithmetica capitulo 1. quod est prohemium. Ferre nulla: sic cunctis absoluta partibus nullius indigna suis tantum est scientia nixa presidiis: vt non ceterarum quoque artium adiumenta desideret. 2. capitulo. quod etiam est prohemium: Philosophia amor est sapientie.

Cassiodorus epistolarum libro 3. capitulo 33. Gloriosa est scientia litterarum: quia quod primum est in homine mores purgat. quod secundum verborum gratiam subministrat. Ita vtroque beneficio mirabiliter ornat tacitos quietos. 53. capitulo. Geometriam quippe vbi est hominum genus acutissimum atque sollicitum: caldei primum inuenisse memorantur. Libro 6. capitulo 19. Inter vtilissimas artes quas ad sustentandam humane fragilitatis indigentiam diuina tribuerunt nulla prestare videtur aliquid simile quam potest auxiliariis medicina conferre. ipsa enim morbo periclytantibus materna gratia semper assistit. ipsa contra dolores pro nostra imbecillitate configit: et ibi nos nititur subleuare vbi nulle diuitie nulla potest dignitas subuenire. Nullus iustus assidue legit quam quod humana salute tractauerit. Libro 9. capitulo 21. Grammaticorum schola est pulcherrimum fundamentum litterarum: mater gloriosa facundie: que cogitare nouit ad laudem loqui sine vicio: hic incursu orationis sic errorem cognoscit absonum: quemadmodum boni mores crimen detestantur externum. Grammatica magistra verborum est. Libro 10. capitulo 3. Eruditio litterarum naturam laudabilem eximie reddit ornatam. Inde prudens inuenit: vnde sapientior fiat. Ibi bellator reperit: vnde animi virtute roboretur. Inde princeps accipit quemadmodum populos sub equalitate componit: nec aliqua in mundo potest esse fortuna quam litterarum non auget gloriosa notitia.

Commented [CN2]: fol. 65va

De auctoribus scientiarum et libris eorum: Rubrica 2

Aristoteles ethicorum libro 1. capitulo 2. Uidebitur vtique melius esse forsitan et oportere pro salute veritatis et familiaria destruere aliterque et philosophos existentes. Amboobus enim existentibus amicis sanctum est prehonorare veritatem.

Oratius epistolarum libro i. capitulo i. Nullius addictus iurare in verba magistri. Quo mecumque rapit tempestas deferror in hospes. Libro 2. capitulo 3. et finali. Scriptorum chorus omnis amat nemo et fugit vrbes.

Tullius tusculanarum questionum libro 5. et finali. Acute disputantis alludere non quid quisque dicat: sed quid cuique dicendum sit videre. Idem de natura deorum libro 3. et finali. Suo cuique iudicio vtendum est.

Ouidius de tristibus libro 2. capitulo 1. Omne genus scripti grauitate tragedia vincit. / Hec quoque materiam semper amoris habet.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. capitulo 3. Distrahit librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habueris: satis est habere quantum legas. Idem de tranquillitate animi: Onerat discentem turba librorum: non instituit: multoque satius est paucis te auctoribus tradere quam errare per multos.

Commented [CN3]: fol. 65vb

Lex codicis titulo de veteri iure enucleando l. i. § omnibus auctoribus. Non omnes in omnia sed certi pro certa: vel meliores vel deteriores inueniuntur. Potest vnus forsitan et deterioris sententia: et multos et maiores in aliqua parte superare. Libro 6. § vt omnes. Qui non insubtiliter factum emendat laudabilior est eo quod prius inuenit.

Priscianus in prohemio. Omnis eloquentie doctrinam: et omne studiorum genus prefulgens sapientie luce a grecorum fontibus deriuatum latinis proprio sermone inuenio celebrasse: et in omnibus illorum vestigiis liberalibus consecutos artibus video. Grammaticae artis auctores quanto sunt minores tanto perspicaciores: et ingenii floruisse et diligentia valuisse omnium iudicio confirmatur. Libro i. titulo de substantiali potestate propria singularum litterarum. Grecis in omni doctrina auctoribus vtimur.

Cecilius firmianus de beata vita libro 2. Sapientiam sibi adimunt qui sine vllo iudicio inuenta maiorum probant: et ab aliis pecudum more ducuntur. Maius est propria facere quam aliena disponere.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Non te moueat dicentis auctoritas: nec quis sit: sed quid dicat intendito.

Proclus de decem dubitationibus circa prouidentiam in prohemio. Dum a prioribus dicta placentia nobisipsi dicimus: nostra vtique dicere videmur.

Boetius de disciplina scholarum libro 2. Librorum copiam tue acquiras exercitationi vt cum opus fuerit eam consulas: nec omnino eis credas. Miseri est ingenii semper inuentis vt et nunquam inueniendis: stultius est magistratus orationibus omnino confidere: sed primo est credendum: donec videatur quid sentiat.

Ugo de sancto victore compendii libro 3. capitulo 5. Firmior est sententia que auctoritate sapientis inducitur.

Commented [CN4]: fol.66ra

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Non a quo sed quid dicatur sit tibi cure. / Auctori nomen dant bene dicta suo.

Cassiodorus epistolarum libro 2. capitulo 40. Semper gratum est de doctrina colloqui cum peritis. Libro 3. capitulo 11. Fugiat doctrina delictum. Indocilis est animi ad vicia trahi. Libro 4. capitulo 28. Dignus est inter alios sequenda decernere qui sibi modum visus est legitime conuersationis imponere. Libro 6. capitulo 6. Reuerendum honorem sumit quisquis magistri nomen acceperit: quia hoc vocabulum semper de peritia venit. Libro 8. epistola 12. Sicut peritiosum est doctos praua suadere: sic salutare munus est cum veritatis terminos disertitudo nescit excedere.

De doctrina et doctoribus seu magistris: Rubrica 3

Salomon in prouerbiis capitulo 14. Cor sapiens queret doctrinam. 18. capitulo. Auris sapientium querit doctrinam. 22. capitulo. Inclina aurem tuam et audi verba sapientium. 23. capitulo. In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquii tui. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum et aures tue ad verba scientie.

Aristoteles ethicorum libro 6. capitulo 2. Docibilis omnis scientia videtur esse: et scibile discibile. Ex precognitis est omnis doctrina. Idem methaphysicorum libro i. capitulo i. Hi docent qui causas de singulis dicunt.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 28. scilicet de aristotelis. Aristoteles crebro solitus erat dicere: quod visus ab aere continente lumen recipit: anima vero a disciplinis vel a documentis. Idem dicebat. doctrine quidem radices esse amaras: sed fructum dulcem. Idem interrogatus quid intersit inter doctos et indoctos inquit: quantum interest inter viuos et mortuos. Idem dicebat doctrinam in prosperitatibus esse decorem: in aduersitatibus vero refugium.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 6. A iuuentute tua excipe doctrinam: et vsque ad canos inuenies sapientiam.

Commented [CN5]: fol.66rb

Oratius in poetria. Segnius irritant animos demissa per aures: Quam que sunt oculis subiecta fidelibus. Quicquid precipies esto breuis: vt cito data / Percipiant animi dociles capiantque fideles: Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Tullius de amicitia: Fructus ingenii et virtutis omnisque prestantie tum maximus capitur cum in proximum quemque confertur. Idem tusculanarum questionum libro 2. Ut ager quamuis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest: sic sine doctrina animus. Idem rethoricorum artis noue libro 6. et finali capitulo 10. Homo indoctus quamuis sit ingeniosus ad virtutem peruenire non potest. Idem de oratore libro i. Non ignoro et que bona sunt fieri meliora posse doctrina. Non est omnino ars vlla in qua omnia que illa arte effici possunt a doctore tradantur.

Ouidius de tristibus libro 2. capitulo i. Quodque parum notum nemo docere potest. Idem methamorphosis. Fas est et ab hoste doceri.

Mattheus in euangelio capitulo 15. Cecus si ceco ducatum prestat ambo in foueam cadunt.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 4. capitulo 6. Nunquam minus dicitur quod nunquam satis discitur. Libro 5. capitulo 9. Plurimum proficit sermo qui minutatim irrepit animo. Idem de tranquillitate animi. Male respondent coacta ingenia. Idem de consolatione ad elbiam: Altius precepta descendunt que teneris impremuntur animis. Idem in prouerbiis. Homines dum docent discunt.

Iuuenalis libro 3. satyra. Penituit multos vane sterilisque cathedre.

Lex codicis libro 10. titulo de professoribus et medicis l. magistros: Magistros studiorum doctoresque: excellere oportet moribus primum: deinde facundia. Quisquis docere vult non repente nec temere prosiliat ad hoc munus: sed iudicio ordinis probatur decretum curialium mercatur optimorum conspirante consensu.

Lex institutionum titulo de gradibus § fi. Veritas magis oculata fide quam per aures animis hominum insigitur.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Ante docere cupis quam discere portio vana. / Et affectas regere ne scius ipse regi. / Quam male confundit ratio prepostera mores.

Commented [CN6]: fol.66va

Uegecius de re militari libro i. titulo 8. Quem inuenias qui possit docere quod ipse non didicit.

Ualerius Maximus 5. capitulo de pietate. Doctrina proficit vt politiora: non vt meliora fiant ingenia: quoniam solida virtus nascitur magis quam fingatur.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Docentium esto tacitus auditor. Que nosti sine arrogantia postulanti impericies.

Macrobius de somno Scipionis. In re naturaliter obscura qui in exponendo plura quam necesse est superfundit addit tenebras. Idem saturnaliorum libro i. in prohemio. Superfluum video inter sapientes nota proferre.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 22. Heret profecto semen introrsum veri quod excitatur ventilante doctrina. Idem de disciplina scholarium libro 3. Arrogantis magistri sedulitas fideliter vnquam instruxit neminem.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo 39. Focos ipsos apprehendere virgultis teneris inchoamus. Ceterum si robora primis scintillis adhibeas: igniculum opprimis quam fouere contendis. Sic animi hominum nisi prius leuitate fuerint imbuti ad hoc quod intendunt idonei nequeunt reperiri. Libro i. capitulo 40. Semper gratum est de doctrina colloqui cum peritis. Libro 3. capitulo 11. Fugiat doctrina delictum. Indocilis est animi ad vitia trahi. Libro 4. capitulo 28. Dignus est inter alios sequenda decernere qui sibi modum visus est legitime conuersationis imponere. Libro 6. capitulo 6. Reuerendum honorem sumit quisquis magistri nomen accepit: quia hoc vocabulum semper de peritia venit. Libro 8. capitulo 12. Sicut perniciosum est doctos praua suadere: sic salutare minus est cum veritatis terminos disertitudo nescit excedere.

Gregorius in pastoralis capitulo i. Sunt plerique qui dum metiri senesciunt que non didicerint: docere concupiscunt: qui pondus **magisterii** tanto leuius existimant quanto vim magnitudinis illius ignorant. 2. capitulo. Nulla ars doceri presumatur nisi in certa prius meditatione discatur.

Isydorus in synonyma soliloquiorum libro 2. capitulo 41. Excellentior fit natura doctrina.

Auctor rudium doctrine libro primo. Quisquis vicem domini retinet de iure magister: Dignus honoris ob hoc quisque magister erit. Libro 2. Indociles feritas immoderata facit.

Mattheus vindocinensis in poetria parte 2. capitulo 2. Omne bonum in commune deductum clarius elucescit. Lucerna nihil prodest abscondita. Capitulo 9. Usus facit magistrum.

Gaufridus in poetria capitulo 52. Cum doceas artes sit sermo domesticus arti. / Quelibet ars gaudet propriis sed sint sua verba / Limitibus contenta suis: cum veneris extra. / In commune forum placeat communibus vti.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Disce diu firma tibi tarda que: atque ad scribendum ne cito prosilias doceto. Nolo repentina tua sit doctrina magistri: Dictis doctorum: factis intende bonorum.

De admonitione castigatione seu correctione: Rubrica 4

Commented [CN7]: fol.66vb

Salomon in prouerbis capitulo 9. Qui erudit derisorem ipse sibi iniuriam facit. Noli arguere derisorem ne oderit te. Argue sapientem et diliget te. 12. capitulo. Qui odit increpationes insipiens est. 15. capitulo. Qui abiicit disciplinam despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus possessor est cordis. 17. capitulo. Expedi magis vrse occurrere raptis fetibus quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua. 18. capitulo. Non recipit stultus verba prudentia: nisi ea dixerit que versantur in corde eius. 22. capitulo. Stultitia alligata est in corde pueri: et virga discipline fugabit eam. 23. capitulo. Noli subtrahere a puero disciplinam. si enim percusseris cum viga non morietur: tu virga percutis et animam eius de inferno liberabis. 27. capitulo. Si contuderis stultum in pila: quasi ptisanas feriente: desuper pilo non auferetur ab eo stultitia eius. 29. capitulo. Uiro qui corripiente dura ceruice contemnit repentinus superuenerit interitus: et eum sanitas non sequitur: virga atque correctio tribuet sapientiam. Idem in ecclesiastice capitulo. i. Peruersi difficile corriguntur.

Commented [CN8]: fol.67ra

Cronica de nugis philosophorum capitulo 2. scilicet de thalete. Thales qui primus sapiens nominatus est secundum quem et septem sapientes vocati sunt optime interrogatus qualiter quidem: atque iustissime viuimus: ait si quod iubemus aliis ipsi agamus.

Aristoteles rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 19. Differunt autem punitio: et castigatio: castigatio quidem enim patientis gratia est: Punitio autem facientis vt sacietur.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 19. Qui odit correctionem minuetur vita. 21. capitulo. Qui odit correctionem vestigium est peccatoris. 22. capitulo. Peccator homo vitabit correctionem et secundum voluntatem suam inueniet comparisonem.

Oratius in epistolis libro i. capitulo i. Nemo adeo ferus est vt non mitescere possit: Si modo culture patientem comodet aurem.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo i. Docti ab aliquo facile et libenter sententiam commutabimus. non enim parum cognosce: sed in parum cognito stulte et diu perseuerasse turpe est: propterea quod alterum communi hominum infirmitati: alterum singulari cuiusque vitio est attributum. Idem tusculanarum questionum libro 2. Hoc turpior quis est: quod in eo peccet cuius profitetur scientiam.

Ouidius de remedio amoris libro i. Impatiens animus nec adhuc tractabilis arte / Respuit: atque odia verba monentis habet. Idem de tristibus libro 5. capitulo 16. et finali. Qui monet vt facias quod iam facis: ille monenda / Laudat et hortatu comprobata suo. Idem methamorphosis libro i. Cuncta prius tentanda: sed immedicabile vulnus: Ense resecandum est: ne pars sincera trahatur. Idem de fastis libro 3. Iudicio peccas turpius ipse tuo. Idem de ponto libro 3. capitulo 6. Nec nocet admissio subdere calcar equo.

Commented [CN9]: fol.67rb

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. capitulo 2. Quicquid infixum ingenitum est leuiter arte non vincitur. Quecunque attribuit conditio nascendi et corporis temperantia etiam cum multum se diuque animus composuerit herebunt. Libro 4. capitulo 7. Initium est salutis notitia peccati. Qui peccare senescit: corrigi non vult. Libro 9. capitulo 2. Uitia sua confiteri sanitatis iudicium est. Libro 16. capitulo 2. Nihil proficient precepta quamdiu mentis error: obtusus est. Omnia honestarum rerum semina anime gerunt: que admonitione excitantur. Ingenii vis preceptis aliter

et crescit: vanasque persuasiones adiicit innatis: et deprauata corrigit. Nulla res magis animis honesta induit dubiosque et in prauum inclinabiles reuocat ad rectum quam bonorum conuersatio. paulatim enim descendit in pectora et vim preceptorum obtinet frequenter aspici: frequenter audiri. Id tibi in conuersatione virosum sapientium eueniet: non deprehendens quemadmodum aut quando tibi prosit: prodesse deprehendes. Libro 19. capitulo 2. Facile est auditorem concitare ad cupiditatem recti: omnibus enim natura fundamenta dedit semenque virtutum. 10. capitulo. Uicia nostra quia amamus defendimus et malumus excusare illa quam excutere. Idem de ira libro 2. Aliquando incutiendus his metus apud quos ratio non proficit. Difficulter reciduntur vicia que nobiscum crescunt. Naturam mutare difficile est. Quo plus indulgetur pupillo quo plus licet corruptior fit. Idem declamationum seu ciuiliu causarum libro 7. in prohemio. Hoc equale omnium est vt vicia sua excusare malint quam effugare. Idem in prouerbiis. Cum his versare qui te corrigenit. Secrete admone amicos: palam lauda.

Lex digestorum titulo ad legem acquilie l. et si quecumque in fine. Leuis dumtaxat castigatio concessa est doctenti. l. infrascripta: Preceptoris nimia seuitia culpe assignatur. Titulo de actionibus empti et venditi l. item quere § item iulianus. Magistri leuis castigatio concessa est.

Ualerius maxillo libro 2. titulo de disciplina militari. Aspero et abscesso castigationis genere militaris disciplina indiget: quia vires armis constant que vbi a recto tenore desiuerint: oppressura sunt nisi opprimantur.

Commented [CN10]: fol.67va

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Sunt homines nequam bene de virtute loquentes. Non hos sed verbum pectore fige tuo.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Amonebis libenter. Si merito te obiurgauerit aliquis scito quod profuit. si immerito scito quod prodesse voluit. Non esto acerbus reprehensor: sed sine exprobratione corrector: ita vt admonitionem hylaritate preuenias. Errori facile veniam dato.

Ambrosius de officiis libro 3. et finali capitulo 16. et finali. Neque monitio aspera sit: neque abiurgatio contumeliosa.

Proculus de decem dubitationibus contra prouidentiam capitulo. 8. Magis corrigerentur puniti mox delinquentes: quam post tantum tempus vt non cognoscant propter quod puniantur.

Cato capitulo 2. Cum moneas aliquem nec se velit ipse moneri: Si tibi sit carus noli desistere ceptis. Que culpare soles ea tunc feceris ipse. Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo. 5. Cogi debet vt sit quietus qui suo vicio renuit esse pacificus. Libro i. capitulo 14. Malum cum perseuerat augetur: et remedicabile bonum est in peccatum accelerata correctio. Libro 5. capitulo 4. Pudoris sustinere iacturam nesciunt qui se prius iudice corrigunt. Libro 9. capitulo 12. Hoc est propria delicta corrigere quod et non facere. 18. capitulo. Similis fit innocenti quem contingit sub comminatione purgari. Libro 11. capitulo 3. Non facile efficitur viciosus cui admonitor insistit assiduus. Idem de amicitia capitulo 24. Qui sequuntur sue mentis impetum et non rationem: vix aut nunquam incorripiendo proficiunt. Tardius peccatum soluitur quod per consilium solidatur.

Claudianus libro i. In commune iubes siquid censes ne tenendum / Prius visa sibi tunc obseruantior equi / Fit populus: nec ferre vetatis cum viderit ipsum / Auctorem parere sibi.

Commented [CN11]: fol.67vb

Auctor rudium doctrine libro 2. Rebus et exemplis est informatio vera.

Prouerbia vulgaria. Uerxia non sa fina per alguna meexina.

De increpatione et reprehensione: Rubrica 5

Salomon in prouerbiis capitulo 12. Qui odit increpationes insipiens est. 15. capitulo. Qui acquiescit increpationibus possessor est cordis. Idem in ecclesiastico capitulo 7. Melius est a sapiente corripi quam astuta adulatione decipi.

Terentius in andria capitulo 3. Obsequium amicos: veritas odium parit.

Tullius de oratore libro i. in fine. Malo non intelligi orationem meam quam reprehendi. Libro 2. Homines imperiti facilius quod stulte dixeris reprehendere: quam quod sapienter tulleris laudare possunt.

Matheus in euangelio capitulo 7. Quid vides festucam in oculo fratris tui: et trabem in oculo tuo non vides. Aut quomodo dicis fratri tuo: frater: sine eiiciam festucam de oculo tuo: ecce trabes in oculo tuo est. Hypocrita eiice prius trabem de oculo tuo: et tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 6.

Paulus apostolus epistola i. ad timotheum capitulo 5. Senioreem ne increpaueris: sed obsecra vt patrem.

Seneca in prouerbiis. Crudelis est in re aduersa obiurgatio. Obiurgationi semper aliquid blanditie admisce.

Ualerius maximus libro 3. titulo de fiducia sui. Euripides quidem atthenis arrogans visus non est: cum postulante populo vt ex tragedia sententiam quandam tolleret progressus in senatum dixit: se vt populum doceret non vt ab eo discederet fabulas componere sollempnes. Libro 4. titulo de verecundia: Athenis quidam vltime senectutis cum spectatum ludos in theatrum venisset cunque nemo ex cuilibet sessum reciperet ad lacedemoniorum legatos peruenit: qui homines etate modica canos eius in annos assurgendi officio venerati sunt: sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt: quod vbi fieri populus aspexit maximo plausu aliene vrbs verecundiam comprobabat. Fertur tunc vnum ex lacedemoniis dixisse erga athenienses quid sit rectum sciunt: sed id facere negligunt.

Commented [CN12]: fol.68ra

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Cur maculas alios maculosior omnibus albi: Et carpi dignus carpere non metuis. Capitulo 5. Fratris verrucas mordaci dente refringis. Ulcera dissimulans que tibi in ore sedent. Ad fratris culpam aquile tu lumina portas. Ad tua cum scelera nulla vel orba feras. Capitulo 6. Alterius censor: censor et esto tuus.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Reprehenderis patienter. Si merito te obiurgauerit aliquis scito quod profuit. si immerito scito quod prodesse voluit. Non esto acerbus reprehensor.

Cato capitulo 2. Que culpae soles ea tu ne feceris ipse. Turpe est edoceri cum culpa redarguit ipsum.

Montenarius in luna cleri capitulo 128. et penultimo. Diligitur rector scelerum reprehensor oditur.

De exemplo et imitatione: Rubrica 6

In exodo capitulo 23. Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae ut a vero deus.

Psalmista 36. psalmo. Noli emulari in malignantibus neque zelaueris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fenum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident. Noli emulari in eo qui prosperatur in via sua: in homine faciente iniustitias. Noli emulari ut maligneris: quoniam **qui** malignantur exterminabuntur.

Salomon in prouerbiis capitulo i. Si te lactauerit peccatores ne acquiescas eis. 3. capitulo. Ne emuleris hominem iniustum: nec imiteris vias eius. 11. capitulo. Sectatio malorum preparat mortem. Capitulo 23. Ne emuletur cor tuum peccatores. 24. capitulo. Ne emuleris viros malos: nec desideres esse cum eis.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 2. Est exemplum quidem inductio: entimema autem syllogismus. Uoco autem entimema quidem rethoricorum syllogismus. exemplum autem rethoricam inductionem. 25. capitulo et finali. Prouerbia testimonia sunt. Libri 3. et finali capitulo 19. Exempla sunt magis concionalia: entimemata autem magis iudicialia.

Terentius in heautontimorumenon capitulo 5. Periculum ex aliis facito tibi quod ex vsu fiet astutus. In adelphis capitulo 11. Inspicere tanquam in speculum vitas hominum iubeo: atque ex aliis summere exemplum sibi.

Salustius in catilinario. Omnia mala exempla ex bonis initiis orta est. Romanis superbia non obstabat quo minus aliena instituta si modo proba erant imitarentur. arma atque tela militaria a samitibus insigniis magistratus a tuscis pleraque sumpserunt. Postremo quod vbique apud socios aut hostes indoneum videbatur cum summo studio domi exequabantur. Imitari bonos quam inuidere bonis malebant.

Tullius rethoricorum artis noue libro 4. capitulo i. Exempla testimoniorum locum obtinent. Ut testimonium: sic exemplum rei confirmande causa sumitur: non ergo oportet hoc nisi a probatissimo sumi: ne quid aliud confirmare debeat: egeat idipsum confirmationis. 4. capitulo. Rerum imperiti qui vnus cuiusque rei de rebus ante gestis exempla patere non possunt: hi per imprudentiam facile deducuntur in fraudem. At hi qui sciunt quid aliis acciderit: facile ex aliorum euentu suis rationibus possunt prouidere. Libro 6. et finali capitulo 11. Exemplum est

Commented [CN13]: fol.68rb

alicuius facti aut dicti preteriti cum certi auctoris nomine propositio. Tullius de oratore libro 3. et finali. Commemoratio antiquitatis exemplorumque prolatio **auctoritatem** orationi affert et fidem. Habet autem vt in etatibus auctoritatem senectus: sic in exemplis antiquitas.

Commented [CN14]: fol.68va

Ouidius de fastis libro 6. et finali. Exempla parantur: Cum iudex alios quod monet ipse facit.

Quintilianus declamationum 2. declamatione. In exemplum vicia facillime proficiunt. Quo ad altiore quisque hominum gradum extenditur: magis in exemplum spectantibus patet. Hec est conditio superiorum: vt quicquid faciunt precipere videantur. Pernitiosissimus est maximus quisque auctor.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 3. Longum iter est per precepta breue et efficax per exempla. Libro 16. epistola 2. Nemo sibi vni: sed dementia spargit in proximos: accipitque iniucem. Idem declamationum seu ciuiliu causarum libro 9. capitulo i. Facilius vt quid imitandum et quid vitandum sit docemur exemplo. Idem in prouerbiis. Bonum est fugienda aspiciere in alieno malo. Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Iuuenalis libro 3. satira 2. Omne animi vicium tanto conspici in se crimen habet: quanto maior qui peccat habetur. Libro 5. et finali satira 2. Uelocius et citius nos: corrumpunt viciorum exempla domestica.

Paladius de agricultura capitulo i. quod est prohemia. Non quos reprehendimus imitemur.

Cato capitulo 4. Multorum disce exemplo que facta sequare. Que fugias vita est nobis aliena magistra.

Cassiodorus epistolarum libro 5. capitulo 44. et finali. Instructius redditur animus in futuris quando preteritorum commonetur exemplis. Libro 10. capitulo 13. Res minor ad potioris currit exemplum: et alieni facti iure inuidiam substinet qui peccatis prestat exemplum. Libro 12. et finali capitulo i. Sicut discipuli magistri scientiam produnt: sic nos obsequentium mores aperiant.

Plaudianus libro i. Componitur orbis / Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus / Humanos edicta valent quam vita regentis. / Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Gregorius in pastoralis capitulo 3. Nemo in **ecclesia** magis nocet quam qui peruerse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. In exemplum culpa vehementer extenditur quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

Commented [CN15]: fol.68vb

Isidorus in synonyma soliloquiorum libro i. capitulo 10. Aspice ex alieno tormento quod timeas. Respice in alieno exitio quod pauescas. Euita foueam in qua vides coram te alium cecidisse. Pericula aliene vite pertimesce. Libro 2. capitulo 43. Que verbis doces exemplis ostende.

Uersificator fabularum esopi fabula 5. Proficit exemplo merito cautela docendi.

Auctor rudium doctrine libro 2. Rebus et exemplis est informatio vera.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 8. Si malus est dominus fit populusque malus.

Gaufridus in poetria capitulo 29. Seruiat exemplum doctrine.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Dictis doctorum: factis intende bonorum.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Casus dementis correctio fit sapientis.

De disciplina: Rubrica 7

Salomon in prouerbiis capitulo i. Audiens sapiens sapientior erit. 12. capitulo. Qui diligit disciplinam diligit scientiam. 13. capitulo. Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam. 17. capitulo. Qui euitat discere incidet in mala. 19. capitulo. Non ceses fili audire doctrinam: nec ignores sermones scientie. 22. capitulo. Inclina aurem tuam et audi verba sapientum.

Plato in menonen. Non natura boni: fiunt itaque disciplina.

Isocrates in exhortationibus capitulo 3. et finali. Sicut viduimus apem in omnes quidem ascendere plantulas. e singulis autem optima colligentem: sic etiam pueros audios in nullo quidem inscie se habere. vndique vero seria legere.

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 2. Qui neque ipsemet intelligit neque alium audiens in animo ponet: hic inutilis vir est. Idem rethoricorum libro i. capitulo 20. Addiscere et immutari delectabile est ~~vt~~ ad multum: imitari quidem enim est concupiscere addiscere quare immutabile est concupiscibile. addiscere autem est in id quod secundum naturam consistit. Libro 3. et finali capitulo 11. Addiscere quod facile: delectabile natura omnibus est. Idem politicorum libro 5. capitulo 9. et finali. Contingit esse aliquos quos disciplinari et fieri studiosos viros impossibile est. Idem probleumatum particula 19. Delectabile est discere. Idem elencorum libro i. Oportet credere eum qui addiscit.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 6. Si inclinaueris aurem tuam excipe doctrinam: et si dilexeris audire sapiens eris. 18. capitulo. Antequam loquaris disce.

Oratius in poetria: Cur nescire pudens prae quam discere malo.

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. 9. capitulo. His maxime docilis est qui attentissime est paratus audire. Idem rethoricorum artis noue libro i. capitulo 4. Docilis qui attente vult audire. Libro 3. capitulo 9. Ingenii bonitas imitatur sepe doctrinam. Idem de oratore libro i. Non est omnino ars vlla in qua omnia que illa arte effici possunt a doctore tradantur. Idem tusculanarum questionum libro 4. Audiendi discipulo intento opus est animo ne omnia dilabantur si vnum aliquod aufugiat. Idem de natura deorum libro i. Obest plerumque his qui discere volunt auctoritates eorum qui se docere profitentur. Deserunt enim suum iudicium adhibere et habent ratum quod ab eo quod probat iudicatum vident.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. capitulo 2. Distrahit librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habueris: satis est habere quantum legas. 3. capitulo. Plus tibi et viua vox et conuinctus quam oratio proderit. Homines amplius oculis quam auribus credunt. Libro 3. capitulo 3. Si vis vacare animo vt pauper sis oportet: aut pauperi similis: non potest studium salutare fieri sine fragilitatis cura. fragilitas autem paupertas voluntaria est. Libro 6. capitulo 3. Lectio certa prodest: varia delectat. Que dementia est superuacua discere in tanta temporis

Commented [CN16]: fol.69ra

egestate. 7. capitulo et finali. Dociles natura nos edidit et rationem dedit imperfectam sed que profici posset. Libro 11. capitulo 2. Apes debemus imitari: que vagantur et flores ad mel faciendum idoneos carpunt. deinde quicquid attulere disponunt ac per fauos dirigunt. Nos quoque debemus quecumque ex diuersa lectione conuessimus separare. Melius enim distincta seruantur: deinde adhibita ingenii nostri cura et facultate in vnum saporem varia ista libamenta confundere. Libro 15. capitulo i. Facilius per partes in cognitionem totius adducimur. Quicquid in maius creuit facilius ignoscitur si discessit in partes quas innumerabiles esse et paululas non oportet. Idem enim vicium habet nimia quod nulla diuisio simile: confuso est quicquid in puluerem sectum est. Idem declamationum libro 4. in prohemio. Accutior est cupiditas ignota cognoscendi quod nota repetendi. Idem de ira libro 2. Nihil est difficile et arduum quod non humana mens vincat et in familiaritatem perducatur assidua meditatio. Idem de tranquillitate animi: Puto multos potuisse ad sapientiam peruenire: nisi putassent se peruenisse. Onerat discente turba librorum non instituit: multoque satius est paucis te auctoribus tradere quam errare per multos.

Iuuenalis libro 5. et finali satyra 2. Dociles imitandis: turpibus ac prauis omnes sumus.

Lex digestorum titulo de fideicommissa libertatibus l. apud iulianum. Cupiditas discendi est optima ratio viuendi. Lex codicis libro 10. titulo de excusatur artificium l. ii. In addipiscendis artibus ocium est accommodandum.

Ualerius maximus libro 4. titulo de studio et industria. Democritus cum diuitiis censeretur posset que tante fuerunt vt pater eius xersis exercitui exemplum dare ex facili potuerit: quo magis vacuo animo studiis litterarum esset operatus parua admodum summa retenta: patrimonium suum patrie donauit.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Docentium esto tacitus auditor. Sapientie cupidus esto et docilis. Que nescis sine occultatione ignorantie tibi postula impertiri.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 17. Que delectat audire alterum loqui prouocat.

Macrobius de somno Scipionis libro i. Facilius ad intellectum per oculos via est quam per sermonem. Libro 2. Anime facilius illabitur concepta ratio descriptione quam sermone. Idem saturnaliorum libro 2. capitulo 18. exauctor liberii. Nimium altercando veritas amittitur.

Cato capitulo 4. Instrue doctrinis animum ne discere cesses. Nam sine doctrina vita est quasi mortis imago. Capitulo 5. et finali. Disce aliquid. nam cum subito fortuna recedit. Ars remanet vitamque hominis non deserit vnquam. Disce sed a doctis indoctos ipse doceto. Propaganda etenim est rerum doctrina bonarum. Ne pudeat que nescieris te velle doceri. Cum tibi contigerit studio cognoscere multa. Fac discas multa: et vita nescire doceri.

Boetius libro diuisionum. Quis non videat plurimum ad bonarum artium effectum valere: si apud mentes hominum nunquam sit desperatio discendi. Idem de disciplina scholarium libro 3. Nouerca est discipline egestas.

Cassiodorus epistolarum libro 3. capitulo 11. Indocilis est animi ad vitia trahi. Edificator liberis locum non relinquit iniuriis. Libro 6. capitulo 19. Ille magis studiosus agnoscitur qui cautior frequenti interrogatione monstratur. Libro 8. capitulo 9. Magna est insinitaque prudentia quam

Commented [CN17]: fol.69rb

Commented [CN18]: fol.69va

nemo sic assequitur vt eam non necessario et per alios querere videatur. Libro 10. capitulo 4. Sapientiam ille querit in altero penes quem est scientie magnitudo.

Isydorus in synonyma soliloquiorum libro 2. capitulo 41. Excellentior fit natura doctrina. 42. capitulo. Quod deesse tibi scientie sentis querere ab aliis. Collatione operta clarescunt. Conferendo difficilima aperiuntur.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 3. Scire quidem frustra contendit quisque quod horret. Quod natura negat discere nemo potest. **Capitulo 4.** Ad loca prudentum tendat vestigia semper. Et notet attente queque probantur ibi.

Commented [CN19]: fol.69vb

Auctor rudium doctrine libro primo. Queras que sunt ignota frequenter. / A quocunque vides posse satisfieri. / Prudentis mox est varias inquirere causas. / Ut valeat animum certificare suum. / Et quanto potior tanto prudentior extat. / A quocunque potest discere si studeat.

Ugo de sancto victore in compendio philosophie in prohemio. Quidam bonitate ingenii freti parua quidem contemnunt: eoque amplius in maximis veritatibus lumen amittunt. Ne maiorum fructum perdamus in nostro studio minora ne contemnamus. Libro 3. capitulo 4. Principium a magistro: sed perfectio ab ingenio et exercitatione esse debet.

Auctor libelli qui incipit astrolabi: Maior discendi tibi sit quam cura docendi.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Uir sine doctrina vix manet absque ruina.

Prouerbia vulgaria. El seno no sen para chi nol compra.

De etate acceptabili discipline: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 22. Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 6. A iuuentute tua excipe doctrinam: et vsque ad canos inuenies sapientiam.

Oratius in epistolis libro i. capitulo 2. Nunc adhibe puro / Pectore verba puer: nunc te melioribus offer. / Quo semel est imbuta recens seruabit odorem / Testa diu.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 10. capitulo 3. Quid stultius quam que diu non didiceris non discere. Tandiu discendum est quandiu nescias. Si prouerbio credimus quandiu viuas. Idem de consolatione ad helbiam matrem. Altius precepta descendunt que teneris imprimunt annis.

Ualerius maximus libro 4. titulo de studio et industria. Cato sextum et octogessimum annum agens grecis litteris erudiri concupiuit. Quam sero inde estimemus: quod etiam latinas pene iam senex didicit. Socratem constat etate prouectum fidibus tractandis operam dare cepisse. Satius iudicantem eius artis vsum sero quam nunquam percipere.

Commented [CN20]: fol.70ra

Lex digestorum titulo de fidei commissa liber 1. apud iulianum. Iulianus dixisse fertur: etsi alterum pedem in sepulchro haberem discere quid vellem.

Uegecius de re militari libro i. titulo 8. Non tantum celerius: sed perfectius imbuuntur que discuntur a pueris.

Cassiodorus epistolarum libro 3. capitulo 11. In teneris annis acquiritur quod matura etate seruatur.

Iacobus beneuentanus capitulo 49. Discere fac artem puerili tempore natos: / Tunc valet ingenium discere cuncta bene: / Nam postquam mollis etas pertransit: ineptum / Redditur et durum quodlibet ingenium.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Quod noua testa capit inueterata sapit. / Qui non assuescit virtuti dum inuuenescit / A viciis nescit discedere quando senescit. / Disce puer dum tempus habes dum sufficit etas / Tempora labuntur more fluentis aque.

Prouerbia vulgaria. A caual vcio no insegnare amblare.

De studio discipline et continuatione eius: Rubrica 9

Isocrates in exhortationibus capitulo i. ad finem. Corpus mediocrioribus laboribus: anima vero studiosis sermonibus augeri nata est. Expende curam vite ad effectum audiendi sermones. expende solertiam vite ini affectu auditionis sermonum. Sic enim que cum difficultate excogitata sunt aliis: facile te continget addiscere.

Salustius in catilinario. Ubi intenderis ibi ingenium valet.

Oratius in epistolis libro i. capitulo 19. Inter cuncta leges: et percunctabere doctos.

Commented [CN21]: fol.70rb

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 12. Studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicitam magna cum voluntate occupatio. Idem de oratore libro 2. Semper statui neminem sapientie laudem et eloquentie sine summo studio et labore et doctrina consequi posse. Libro 3. et finali. Non est tanta in rebus obscuritas vt eam non penitus acri vir ingenio cernat si modo aspexerit.

Ouidius de tristibus libro 5. et finali capitulo 39. Adde quod ingenium longa rubigine lesum. / Torpet: et est multo quam fuit ante minus / Fertilis: assiduo si non renouetur aratro. / Nil nisi cum spinis gratiam habebit ager. / Tempore qui longo steterit male currit: et inter / Carceribus missos vltimus ibit equus. / Uertitur in teneram carine nimisque dehiscit. / Si qua diu solitis cimba natabit aquis. Idem de ponto libro 4. et finali capitulo 2. Utiliter studium quod tibi cedit auia.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. capitulo 2. Distrahit multitudo librorum: Itaque cum legere non possis quantum habueris: satis est habere quantum legas. Libro 11. capitulo 2. Alit lectio ingenium. Libro 16. capitulo 2. Queque salutaria sunt sepe agitari oportet: sepe versari: vt non tantum nota sint nobis: etiam parata: adice numero quod apta quoque apertiora fieri solent. Idem de tranquillitate animi. Puto multos potuisse ad sapientiam peruenire nisi putassent se peruenisse. Si te ad studia reuocaueris omne vite fastidium effugies. Onerat discentem turba librorum: non instituit: multoque satius est paucis te auctoribus tradere quam errare per multos.

Idem de consolatione ad paulinum. Studia optime felicitatem extollunt et facillime calamitatem minuunt. Idem tragediarum in troade capitulo 7. Dediscit animus sero quod didici: diu.

Ualerius maximus libro 4. titulo de studio et industria. Catois mirifica proles cato ita doctrine cupiditate flagrauit vt nec in curia quidem **dum** senatus cogitur temperaret sibi quominus grecos libros lecitaret. Qua quidem industria ostendit aliis tempora deesse: alios superesse temporibus. Solon versibus significauit se quotidie aliquid addiscentem senescere: et suppremo vite die confirmauit quod assistentibus amicis quandam de re sermonem inter se conferentibus fati iam pressum caput erexit. interrogatusque quapropter id fecisset: Respondit vt cum istud quicquid est de quo disputatis percepero moriar.

Commented [CN22]: fol.70va

Lex codicis libro 10. titulo de excusationibus artificum l. i. In addiscentis artibus ocium est accomodandum.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 8. Intermissa diu tanquam sit prorsus omissa: / Candide lucilli philosophia valet: / Disce sed assidue: disce sed vt sapienas: / Sumpta parum prodest que mox amittitur esca: / Bos quibus est pastus ruminat hoc eadem.

Cato capitulo 4. Multa legas facito: perlectis perlege multa. Capitulo 5. et finali. Discere ne cesses: cura sapientia crescit. Rara datur longo prudentia temporis vsu. Cum tibi contigerit studio cognoscere multa: Fac discas multa: et vita nescire doceri.

Cassiodorus epistolarum libro 11. capitulo. i. Egrescit profecto ingenium nisi iugi lectione reparetur. Si quid in nobis redolet studiorum flos est: quod nihilominus marcidum redditur si a matre lectione carpatur.

Auctor rudium doctrine libro i. Lectio crebra valet quam non obliuio tollit. Et recolis plene cum tibi prebet opus: Proficit hic nunquam cui semper lecta nouantur: Quod putat esse aliud hoc erit illud idem.

Ugo de sancto victore in didascalicon libro 2. capitulo 11. Multos hoc decipit quod ante tempus videri sapientes volunt: Hinc namque in quendam electionis tumorem prorumpunt: vt iam simulare incipiant quod non sunt et quod sunt erubescere. Si omnia legere non potes: ea que vtiliora sunt lege. Et si omnia legere poteris: non tamen idem labor omnibus impendendus est.

Mattheus vindocinensis in poetria particula i. capitulo **19**. Studium est assidua mentis applicatio ad aliquid agendum: summa cum voluntate. Particula 2. titulo 13. et penultimo. Est vsus doctrine comes doctrina scholaris: Intercisa perit continuata viget. Usus facit magistrum. Idem de hystoria tobie capitulo 36. Doctrine pater est vsus: doctrina scholaris. Intercisa perit: continuata viget.

Commented [CN23]: fol.70vb

Gaufridus in poetria capitulo 107. Sunt aliqui qui scire volunt: sed non operari. Nec studium penamque pati: e modus iste catinus. Uult piscem: sed non piscari.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Sunt duo que nullus confert nisi conferat vsus. / Scribere perfecte: versus componere recte.

Aristoteles methaphisicorum libro 3. capitulo i. Inest inuestigare volentibus preopere bene dubitate. Idem elencorum libro 2. et finali. Inuento facile est addere. Idem ethicorum libro i. capitulo. i. Disciplinati est in tantum certitudinem inquirere secundum vnumquodque: genus inquantum natura rei recipit. 4. capitulo. Certitudinem non oportet in omnibus similiter exquirere: sed in singulis secundum subiectam materiam: et in tantum quantum proprium est doctrine. Libro 3. capitulo 5. Studiosus singula iudicat recte et in singulis verum ei apparet.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 6. Inuestiga sapientiam et manifestabitur tibi.

Terentius in heutontumerumenon capitulo 13. Nihil tam difficile est quin querendo inuestigari possit.

Tullius de oratore libro 3. et finali. Non est tanta in rebus obscuritas vt eam non penitus acer vir ingenio cernat: si modo aspexerit. Idem in ortensio circa fine. Indagatio rerum tum maximarum tum etiam occultissimarum habet oblectationem.

Seneca in epistolis ad lucillum libro 4. capitulo 8. et finali. Non potest fieri vt non aliquando succedant multa tentanti. Libro 5. capitulo 4. Patet omnibus veritas: nondum est occupata. Multum ex illa etiam futuris relictum est. Idem declamationum seu ciuilis causarum libro i. in prohemio. Sepe quod querenti non comparuerat aliud agenti presto est.

Macrobius Saturnaliorum libro 2. capitulo 18. exauior liberii: Nimum altercando veritas amittitur.

Commented [CN24]: fol.71ra

Boetius de disciplina scholarium libro 3. Facilius diserendo plerunque difficultatis scintillula reperitur: quam si studii obseruatione committeretur.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo 9. Fidem siquidem rerum a ratione colligimus: que nunquam desiderantibus absconditur si suis vestigiis perquiratur.

Gaufridus in poetria capitulo 106. Speculatio prima non bene discernit nec plene.

De curiositate vana: Rubrica 12

In leuitico capitulo 19. Non anguriabimini nec obseruabitis somnia. Ne declinetis ad magos: nec ab auriolis aliquid sciscitemini per eos.

Moyses in deuteronomio capitulo 6. Non tentabis dominum deum tuum.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 3. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter et in pluribus operibus dei non eris curiosus.

Cato capitulo 3. Mitte archana dei: celumque inquirere quid sit.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 33. Quod ad te non pertinet noli querere. Nulla te concupiscentia detestande curiositatis surripiat. 43. capitulo. Curiositas periculosa presumptio est.